

*Sulphur, Aquam, Terram* reduci corpora posse, adeòq; quinq; rerum Principia demonstrantes. Neq; tamen desunt, qui & hos terminos justo angustiores arbitrentur, dicantque è succo v. g. uvarum præmissa fermentatione separari *Spiritum fragrantem, Oleum, Aquam acidam, insipidam, Sal fixum, volatile, Tartarum, Terram &c.* adeòque plura Principia ponenda esse. Contra sunt, qui terminis quam arctissimis, rerum naturalium initia definiunt docendo: Cuncta corporea ex unico universali Principio *Aqua Elemental*i, tanquam causa materiali, auxilio *Seminum fermentorum* prodiisse, ita ut universam hanc in mundo scenam, *fermenta per Semina* sub uno *Aqua* elemento ludant.

Atq; inter tot maximorum ingeniorum divortia, non levis difficultas oritur, in cujus sententiam descendere debeamus. Ego quidem in animum non induxi, ullius sententiam examinare vel oppugnare, huic enim imparem me lubentissimè profiteor, qui adeò neminem docere ausim, ut etiam à quovis doceri cupiam; nihilominus tamen ut ultimæ huic calculum meum adjiciam multa me